


Pretorius Joachim

# GALLICA ARMA
Contra calumnias aſserta
& oſtenſa
Europæ ſalutaria eſſe.

---

Anno CIↃ IↃC XLVIII.





Rodiit nuper libellus, cui titulus Bibliotheca Gallo-Suecica, in utramq́ue gentem injurius, malignus, & ultra Satyræ legem mordax ac maledicus. Ut eſt libido ingenijs humili (ut Poëta inquit) læſiſſe veneno, ſumma. De hujus vindicandis, viderit quicunq́ue hanc curam ad ſe putabit pertinere. Ego Gallici nominis ſtudioſus, calamum arripio, & ſcriptum hoc oppono. Non certè ut reſpondeam ad calumnias, hoc enim & ſupervacuum eſt innocentiæ, & indignum magnitudini. Sed ut oſtendam arma Gallica bono Europæ ſumpta, non poſſe niſi ejus magno commodo deponi. Iſtud verò fiet non pactione ulla, quæ nempe relinqueret ignes, ſuppoſitos cineri doloſo, in majorem mox ſurrecturos flammam, ſed vera, ſolida, ſine exceptione victoria. Hæc diſſidia publica Principum compeſcet, hæc hereſes tollet, hæc pacato orbe Chriſtiano Turcis formidabilem & fortè fatalem vim inferet. Tria iſta præſtitum iri, paucis oſtendam.

Atque inprimis cum viro clarissimo Justo Lipsio sic verissime sentio. Monarchiam aliquam utilem omnino orbi Christiano fore, qua nempè (ut Claudianus ait) cuncti gens una simus, eodem imperio, ijsdem legibus gubernata, lingua sermoneque communi sociata, calamitatum vero belli aut omninò expers, aut certè vix quidquam sentiens. Idque optandum patet exemplo Romanæ dominationis. Qua florente (Plinij verbis) sparsa imperia congregata, tot populorum discordes ferèq; linguæ, unius (Latini nempe) sermonis commercio, ad mutua colloquia contractæ, & hoc ipso humanitas hominibus reddita, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria facta. Quin non patria solum, sed penè una civitas, cum postmodum constitutione Antonini, quotquot in orbe Romano fuêre, cives Romani effecti sunt. Præterea, ut Aristides inquit, adeò pax alta fuit, ut bella vix unquam crederentur esse, ac pro commentis & fabulis à plerisque haberentur. Vrbium verò unum certamen esset, ut earum quoque pulcherrima appareret. Immo nec urbes solum splenderent, sed tota adeo terra horti instar ac paradisi exculta cerneretur.

Hæc & multa alia veterum consensu de Romano imperio prodita, multum profectò commendant Monarchiam, ejusque uberes fructus ac affectus

ctus ostendunt. Porro quemadmodum universitas ista rerum, ideo tranquilliter & stato ordine decurrit, quia uni Deo paret, ita & gentes moderatius regerentur, subditæ unius Monarchæ imperio.

Sed nempe ille idem Lipsius hoc certe non satis vidit, neque per dioptram prospexit accurate, cum hanc Monarchiam quodammodo promittit prædicitque Hispaniæ. In libris enim de Constantia, dum regnorum mutationes eleganter per congeriem exemplorum percurrit. Adeste etiam (inquit) pelliti vos Scythæ, (Turcas intelligit) & potenti manu paulisper habenas temperate Asiæ atque Europæ. Sed isti ipsi mox discedite & sceptrum relinquite illi ad Oceanum genti. Fallor enim? an solem nescio quem novi Imperij surgentem video ab Occidente. Hæc de Hispanis dici, clarius est, quam ut ostendam. Prudentiam verò quodammodo divinationem esse, dixit in vita Attici Cornel. Nepos. Quem non prudentem, sed divinum vocat. Et profectò certior est hæc ex judicio profecta divinatio, quam sint illæ divinæ, (ut Manilius vocat) artes,

——————— & conscia fati
Sidera, diversos hominum variantia casus.

Ex similitudine enim rerum & eventuum certius prædicere potest, quam Mathematici omnes,

 quod

quod genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax, dicit alibi Tacitus. Sed vir alioqui non eruditionis tantum, ſed (quod in iſtis rarum eſt) prudentiæ etiam magnæ hic non ſatis judicavit, immo & ἀκρισίαν apertam commiſit. Hoc enim firmiter aſſero Hiſpanos totamque Auſtriacam potentiam quantumvis amplam, longe tamen ſemper à ſpe occupandi Imperij & Monarchiæ ſtabiliendæ abfuiſſe. Cauſas ſententiæ meæ habeo iſtas. Primo obfuit illi diviſa domus & in plures principes partita. Vnde non poterant ita coaleſcere vires ejus atque conjungi, ut unam efficerent indiviſamque potentiam. Nam tritum illud eſt, & uſu exemplisque cognitum, nec tædas nec regna ſocium pati, & cupidinem dominandi cunctis affectibus flagrantiorem eſſe: & ex Evangelio omne Regnum in ſe diviſum, non modo non formidabile alijs fore, ſed etiam ſuapte deſolandum.

Altera cauſa eſt, ex divulſo & per orbem diſperſo imperio, quod & defendi niſi magno labore impendioque, & ſuccurrere ſibi invicem non poſſet, & denique hinc inde bellorum cauſas præberet, ubique hoſtibus, vel infidis ſocijs expoſitum. Quam aliter in Romano Imperio? Ubi, ut Tacitus inquit, provinciæ, legiones, claſſes, omnia juncta inter ſe & connexa Mediterraneo

mari,

mari, velut baltheo medium dividente & conſtringente ſimul.

Tertio quod præſe ferret nimium Catholicæ Religionis ſtudium, ſtabiliendo quidem, (ut noſtra Gallorum eſt opinio) potiſſimum imperio. Et veteri illa arte à Philippo Macedone mutuata, qui item ſpecie tuitionis Sacrorum, Delphicum ſcilicet templum ſpoliatum à Phocenſibus vindicans, totam Græciam occupavit. Sed quocunque id animo, non tamen ſatis provido conſultoque. Nam hoc ipſo orbis Chriſtiani maxima parte varia hæreſi infecti odium acerrimum ſibi conciliavit, plurimoſque inde comparavit hoſtes.

Quarta cauſa, quod potentiam maritimam haberet exiguam. Nam & in Mediterraneo mari Turcica prævalebat potentia, & Veneti ibidem uſurpabant Adriatici ſinus dominium. Et à Gallico littore habebat obſtaculum ingens. In Oceano autem Germanico poſt amiſſam Bataviam, vix aliquot, eoſque ignobiles portus retinuit. Et ad Balthicum mare nullum prorſus. Quæ res profectò multum illis offecit conatibuſque illorum obfuit potiſſimum.

Accedit cauſa ultima ex pertinacia nempè à nimio faſtu Hiſpanico orta, omnia retinere quo quomodo volentium, & indignum ſua magnitu-

dine

dine reputantium aliquid ſemel poſſeſſum amittere, neque id decere

Hiſpanos rerum dominos gentemque

Quæ (ut Claudiani verbis utar)

Nunquam ſuccubuit damnis, & territa nullo
Vulnere. — — — — —

Unde pervicaci arrogantia Batavos tot conatibus oppugnavêre, & in re difficili, atque operæpretium non rependente, contrivêre vires, quibus Orbi graves eſſe potuerunt; Certè Galliæ noſtræ plurimum: Quæ tum temporis ex diſſidio religionis & factione Principum civilibus armis flagrans, quam prona & præceps fuit ad occaſum? His ergo alijsque de cauſis apparet Auſtriacos nunquam potuiſſe Monarchiam conſequi & obtinere, vanamque fuiſſe prædictionem & μαντικὴν illam Lipſij, & eventu non comprobatam. Sed venia ſit viro magno. quantumvis enim accuratè præſagiat mens noſtra, penetrare tamen adyta illa fati non poteſt, quia (ait Lyricus)

Prudens futuri temporis exitum
Caliginoſa nocte premit Deus.

Attamen ſi omnia rectè expendimus, agnoſcemꝰ facile noſtræ, noſtræ potius Galliæ decus iſtud olim à Carolo Magno feliciter partum, & bono tum orbis Chriſtiano obtentum, iterum poſt octo fere ſeculorum intercapedinem fatis videri deſtina-

ſtinatum, & ut nunc ſunt rerum ſucceſſus, certo illi promittendum. Etenim ſi vires, ſi incrementa potentiæ, ſi tam late prolatos bello regni fines, ſi fœdera prudenter ſancita & conſtanter retenta. Si denique quamvis ætate Regis immatura ſtabile ac firmum Imperium, exciſas factionum ſtirpes ac radices, & loco omnium fortunam faventem expendas: adfatearis neceſſe eſt, aut nunquam aut certe nunc ſolida fundamenta novæ alicujus magnitudinis jacta eſſe. Moderamur ecce armis conſilijsque cuncta. Belli paciſque arbitrium in noſtra habemus poteſtate. Quas gentes quieſcere, quas inter ſe collidi Galliæ expedit, eas vel pacatas eſſe patimur, vel ad arma concitamus. Europa denique pendet ſollicita à nutu noſtro, & Principes ac populi propè omnes fortunam propitiam aut adverſam, prout de nobis meruerint expectant metuuntque. Daniæ Regulus dum nos majore omnino animo, quam conſilio ad paciſcendum vel invitos adigere parat, tantæ arrogantiæ meritas pœnas dedit. Batavorum Reſpub. fœderatumque Belgium, quamvis magnis de cauſis ad pacem Hiſpanicam alliceretur, quamvis expedire illi hoc velut vallo & aggere Hiſpanicæ dominationis à noſtra Gallia ſecerni, multi multis argumentis evincerent, ceſſit tamen commodis noſtris, & in occupandis Flandriæ portu-

bus, velut ſtipendiariam navavit nobis operam. Veneti neſcio quid conatibus noſtris in Italia obfuturi, belligerare cùm minime ſperarent, coacti ſunt. Quid de reliqua Italia dicam? Gens in tot minutos dynaſtas ſciſſa, ſibique mutuo infida ac inimica inter Gallicam & Hiſpanicam potentiam pridem huc illuc nutans, dum nequit in unum fœdus coaleſcere, dum ad partes Auſtriacas adeo acciſas tranſire intutum reputat, juſſa noſtra audiat, neceſſe eſt. Sitque cervice parata ferre jugum. Germania partim nobis adhæret ex fœdere, & famulatur felicitati noſtræ, partim Auſtriacis conjuncta, graues pœnas luit fœderis inconſulti, & interim tota, hinc noſtris, inde Svecicis armis, velut vincta & conſtricta tenetur, extra omne arbitrium ſui, finemque tam longi & atrocis belli habere nequit, niſi ultro à nobis conceſſum. Svecia quanquam pollens potenſque, revera tamen non ſibi, ſed nobis potius & pugnat & vincit. Diſtrahit nempe vires hoſtium, & hoc ipſo ſecundat noſtris incrementis. Quam nos interim pactis illigatam, quin etiam largitiuncula & publice, & multo magis privatim conceſſa, firmiter in ſocietate belli, quoad uſque neceſſe erit, detinebimus. Sed & Anglia etiam veteri odio nobis ſemper infenſa atque inimica, progreſſibuſque noſtris, certiſſimum obicem poſitura, commodo

Galliæ,

Galliæ, bello civili nunc ardet, & tanquam nostra factione, se perimit sua sponte. Quod si Hibernia Catholica nostram opem contra Anglos invocaverit & se potestati nostræ permiserit, agnoscent Britannicæ insulæ, non aliud discordantis patriæ remedium esse, quam ut externæ gentis imperio gubernentur. Hostes verò nostri Hispanus nempe inprimis, eo jam redactus est, ut non solum vana & ridicula spe Monarchiæ se penitus excidisse sentiat, sed de ipsa Hispania retinenda laboret, cum hinc Catalonia nostri jam juris sit, inde Portugallia socia & necessario fœdere conjuncta. Videt miser fatiscentis Imperij clara & aperta initia, & maximæ Victoriæ loco habet, si aliquid tueri possit ac defendere: & nostras manus

—— —— —— opimus
Fallere & effugere est triumphus.

Cæsar vero (seu potius Rex Hungariæ, idque non optimo jure) precariam pacem jampridem flagitat, concedens omnia, quæ hactenus in Germania occupavimus. Sed frustra. Quod enim olim Alexander Dario, merito & nos possumus reponere: Illum nempe nostra & à nobis possessa largiri. Hæc adeo prospera ac fausta Galliæ, quid sunt, nisi certissima omina Imperij? quod apertè struit fortuna, promittitque misertus tandem tot

Europæ calamitatum Deus. Ergo habebimus Monarchiam potentem, validam, ſtabilem, quæ vinculum ſit rerum, & Chriſtianæ Reipub. firmamentum. Et quæ (ut oſtendere promiſi) præſtabit iſta.

Imprimis Inter Principes pacem & concordiam. Hactenus enim diſſidiorum præcipua cauſa fuêre tot Reguli, tot reſpublicæ, tot dynaſtiæ, exigua omnes, & ferè æquali potentia, quæ, vel inter pares æmulationem, vel quovis vicini ſucceſſu, mutuum mətum faciebant. Inde vero ſecutæ artes, aſtus, occultæ atque ſubdolæ machinationes. Inde odia, offenſæ, & tam acres inimicitiæ. Inde denique bella hæc continua, quorum nullus apparet exitus, cùm novis ſemper de cauſis nova oriantur,

Nec ceptus unquam cedat ex animis furor,
Sed arma felix teneat, infelix paret.

Unicum autem remedium erit, potens rerum, & orbis arbitra magnitudo Imperij noſtri. Hæc coercebit facile tam effuſam bellandi libidinem, hæc morem barbarum, immo ferinum tollet, per vim nempe tantum jus ſuum repetendi, hæc denique belli loco judicium ſubſtituet. Cum enim (ut tritum illud adferam Ciceronis) duo ſint genera decertandi, unum per Diſceptationem, alterum per Vim, ad poſterius confugiendum non erit ne-

rit necesse, si priore uti licebit. Licebit autem, dum supra omnes eminebit potens nostra Monarchia, quæ suo arbitratu lites Principum ac civitatum componet, & metu in officio continebit. Tunc

— — — non furor
Civilis, aut vis eximet otium,
Non ira, quæ procudit enses,
Et miseras inimicat Urbes.

Præcipue verò in Italia & Germania, isti qui nunc supremi dominij usurpatione superbiunt, mitius agere jubebuntur. Dum nos eorum inimicitias ac odia compescemus, Romanorum exemplo, cunctas orbis gentes ac nationes, imperio suo olim temperantium, quas quidem prius aut in societatem acceperant, aut redegerant in provinciam.

Jam alter effectus sequitur, non minus utilis. Suppressio nempe hæresium, & pax Ecclesiæ restituenda. Certè schismata præcipuè licentia fovet, illa verò inter æquales tantum est, & nulla re alia, quam potestate ac imperio coërcetur. Miratus quondam est orbis, se fuisse Arrianum. Ego vero hoc miror magis, quomodo esse desierit. Natura namque humana præceps ad malum, & ab errore, præsertim recepto jam & com-

muni, difficulter repetit derelictam veritatem. Itaque non alia cauſa reſipiſcentiæ hujus aſſignari poteſt, niſi poteſtas magni Imperij, quæ ſola hanc hæreſin, aliasque propè omnes ſuſtulit, & ſchiſmata ſemper prohibuit. Idem nunc quoque promittendum Europæ à ſimili cauſa, id eſt, nova Monarchia, quæ ſeculari (ut vulgo loquimur) & auctoritate & potentia pruritum hunc, atque laſcivientem ingeniorum luxuriem ex merito caſtigabit, pœnisque mulctabit externis, quæ nempe corpus fortunasque tangunt, cùm Eccleſiaſticæ illæ non ſufficiant, & contemptui ludibrioque ſint, neque hactenus coërceri aut puniri citra rebellionis periculum potuêre. Cum nempe Reges ac Principes aut non illâ potentiâ eſſent, quâ inſaniam hanc reprimerent, aut eadem infecti, ſequerentur ſubditum populum, qui illis & in res divinas permittebat regimen, & bona Eccleſiæ ſacrata ultro concedebat. Jam verò Imperio potenti, idque Catholico ſtabilito, & coërctio, & pœna facilis erit, hæreſesq; ceſſabunt ac extirpabuntur, quibus omnia Europæ mala meritò debent imputari. O vel hoc ſolo optandam, omniumq; bonorum communibus votis expetendam, ex devictis Europæ populis, victoriam noſtram!

Quam tamen inſuper & tertia cauſa commendat, nempè Turcicæ potentiæ hinc ſequutura eversio

versio, imperijque gravis ac detestandi casus ac ruina. Crevit damnis cladibusque nostris barbarum hoc regnum. Erepta nobis sunt omnia, quibus impunè fruitur, & pacate ac tranquille agit, dum nos mutuo dissidemus internecinis bellis, atterimusque vires facilè illi formidandas

Heu quantum terræ potuit pelagique parari
Hoc, quem civiles hauserunt sangvine dextræ!

Nec tamen hucusque spes est ulla communibus aut conjunctis viribus illud expugnandi. Toties enim susceptæ sacræ (ut vocabantur) expeditiones, fidem faciunt irriti conatus, dum nempe quantumvis potens & copiosus exercitus multorum ducum diviso ac discordi plerumque imperio, studijsque variè distractus nihil præstare potuit, & ferè infectis rebus discessit, magno ludibrio ac probro nominis Christiani. Sola igitur, aut nulla alia ratio superest, unum nempe & potens aliquod Imperium, quo constituto Asiatici isti & molles, jamque delicijs fracti homines, facilè succumbent.

Nec plura addam, vel ad commendationem vel necessitatem Monarchiæ. Hoc tantum: ne spes illius tam certa, tam rata, pacis alicujus interventu evanescat. Caveat Gallia errorem tam supinum; neque moveatur vocibus, illam hac

causa

causa accusantium. Minus est (ut ille dicebat) audire male, cum facias bene. Et. Omne magnum exemplum (inquit alter) habet aliquid ex iniquo, quod adversus singulos, utilitate publica rependitur. Instet igitur fortunæ suæ, & hunc felicissimum rerum successum non prævertat, aut sistat ulla pactione. Victoria expectetur, quæ sola subactis gentibus veram pacem adferet, & Europam tot calamitatibus afflictam sublevabit.